

Codice scheda: ASC A4580325

Luogo e data: TORINO -

Autore: RUA MICHELE

Destinatario: COOPERATORI SALESIANI E BENEFATTORI

Classificazione: Rua: Circolari, direttive, documenti

Tipo documento e supporto: Circolare - Stampa tipografica

Autenticità: Firma autografa

Contenuto: Presenta un sintetico profilo della vita e delle opere di D. Bosco, con un capitoletto sui Cooperatori Salesiani. (Testo in lingua latina)

IOANNIS BOSCO OPERA

Subscriber submitte vos orat, ut benevole et attente has legatis litteras, quas eodem exemplo scriptas ipse dedit omnibus, qui Salesianae Sodalitatis coeptis pro viribus favent.

Augustae Taurinorum in Asceterio Salesiano.

Via Cottolengo, 32.

MICHAEL RUA SACERDOS
in regenda Salesianorum Sodalitate
IOANNIS BOSCO Successor.

BREVIS IOANNIS BOSCO NOTITIA

EIUSQUE OPERUM.

Ioannes Bosco humilibus parentibus ortus est anno millesimo, octingentesimo, quinto et decimo Castrinovi, quod est parvum oppidum in Taurinensi dioecesi. Quindecim annos natus, relictis agris, in quibus pueritiam innocentissimis moribus conspicuam egerat, ad studia se contulit, quo facilius ad Sacerdotium, ad quod potissimum animus inclinabat, sibi viam muniret. Feliciter studiorum cursum emensus, et Sacerdotio auctus anno supra millesimum octingentesimo, quadragesimo primo, ad pueros recipiendos instituendosque,

quorum amore vel a prima aetate mire flagraret, omnes suas curas cogitationesque convertit. Itaque Augustae Taurinorum in Sancti Francisci Assisiensis aede, primum pueros circum se collectos Christiana doctrina coepit instruere.

Parva quidem initia, a quibus tamen sunt delapsa permulta eiusdem generis opera, quae deinde in iuventutis commodum sensim excitata, Dei Ecclesiam iam laetis hilarant fructibus, laetiores et uberiores in dies datura.

In Oratoriis (ita appellantur, loca ubi fiunt puerorum conventus Dominicis et diebus festis) qui ea celebrant, praeter ludos atque solatia varia et diversa quibus opportune levantur, doctrina Christiana imbuuntur, sacra frequentant, artes, litterarum elementa, linguas nunc usurpata ediscunt, et in vocum, fidium, tibiarum et bucinarum cantibus se exercent.

In hoc opere praeter Salesianos, elaborant etiam eorum Cooperatores, qui non modo sedulam curam gerunt puerorum, quum Oratoria frequentant, sed quo plenius his consulant, statim ut aliquam artem satis didicerint, apud honestissimos viros collocant, a quibus nullum fidei aut religionis detrimentum sint accepturi. Ad vespeream frequentes ad Oratoria concurrunt etiam opifices, qui operibus soluti, tantum arithmeticae, musicis, et horum similibus temporis tribuunt, quantum res postulat. Pueris vero, quibus vel propter inopiam, vel propter malum ingenium, publice docentes adire non licet, praesto sunt in Salesianorum domibus privatae et diurnae scholae.

Magna haec quidem, sed Ioanni Bosco haud erant satis. Quapropter complura erexit hospitia pueris excipiendis, qui tecto carent. In his aluntur, et pro ingenio quisque eam discit artem, ad quam est propensior. Nec est praetereundum, ex his qui a Salesianis educantur, bene multos ad Sacerdotium contendere. Quin immo, ex ipsius Sodalitatis Parentis praescripto, qui nihil tam ardentem cuperet, quam Dei Ecclesiam optimis administris ditare, in eorum utilitatem, qui tardius ad studia se conferunt, patent Salesianorum cura aptae et accommodatae scholae, quae ad Sacerdotium nitentibus compendiarum, pene dixerim, viam patefaciunt. Student Salesiani etiam agriculturae, multisque agricolarum coloniis constitutis, eo praesertim intendunt, ut rustici caram sibi agriculturam habeant, acri studio eam exercent, neque tam facile deserant.

En praecipua Salesianorum munera. Ab initio quum adiutoribus indigeret, Ioannes Bosco laboris socios eos ipsos, sibi adscivit, qui a se recepti atque instituti, aut iam Sacerdotium inierant, aut aliquam artem satis videbantur edocti. Haec nostrae Sodalitatis origo, quam nomine S. Francisci Salesii eius auctor ob eam praesertim causam nuncupavit, quod quum in puerorum educatione caritate in primis, facilitate et clementia uteretur, non aliarum virtutum illustrius exemplum conspexit, quam in Salesio, qui tot errantes ac devios una caritate ad rectam semitam revocavit. Quo factum est, ut in Salesianorum hospitibus et collegiis peccata, etiam nunc, praecavendo potius quam coercendo prohibeantur.

Ioannes Bosco decessit pridie calendas Februarias anno millesimo, octingentesimo, octavo et octogesimo, quum eius opera longe lateque per Europam et per Meridianam Americam essent disseminata. In Europa exstant Salesianorum domus in Italia, in Gallia, in Hispania, in Belgio, in Anglia, in Austria, et in Helvetia. In Meridiana America Salesiani versantur in Patagonia, in Tierra del Fuego, in Aequatore, in Brasilia, in Paraguaia, in Chile, in Peruvia, in Argentina et Uruquiana republica, et in Columbia, cuius valetudinarium lepris curandis (appellant *Agua de Dios*), abhinc complures annos sibi regendum susceperunt. In Septentrionali America ad hanc diem duas tantum domos condiderunt, unam Mexici, alteram in S. Francisci urbe in California. His regionibus alii alia curant; eo tamen omnes spectant, ut barbaros indigenas ad humanum et civilem cultum traducant, et ut fidem Christianorum tueantur, tum qui in America nati sunt, tum praesertim eorum qui ex Europa illuc migrarunt.

Omnibus his Americae missionibus, quas supra memoravi, praesunt Ioannes Calliero et Iacobus Costamagna, qui et ipsi a Ioanne Bosco educati atque instituti, ad Episcopi dignitatem producti fuerunt.

Sed et alia superest Salesianorum cura, optimos videlicet et quamplurimos edendi libros, prout testantur frequentes officinae et tabernae librariae multis locis constitutae.

Haec fere sunt, ad quae Salesiani totis viribus incumbunt. Sed quo plures caritate complecteretur, Ioannes Bosco puellarum

quoque Societatem condidit, quae a Maria Christianorum Adiutrice nomen accepit. Cuius Societatis iam longe lateque diffusae, hic est finis praecipuus, ut quae Salesiani in pueros et in viros, eadem ferme praesent in puellas et in mulieres virgines Deo dicatae.

DE SALESIANIS COOPERATORIBUS

Sodalitas Salesiana nullos certos habet census vel redditus. Manet atque perdurat una Dei Providentia confisa, qui eam sustentandam prae ceteris Salesianorum Cooperatorum fidei et largitati commisit. In unum collecti atque iisdem legibus, Cooperatores tertium quendam Salesianorum Ordinem efficiunt, qui a Pio IX Pontifice Maximo approbatus et indulgentiis auctus, eo maxime intendit, ut Salesianorum coeptis enixe faveat.

Cooperatoribus gratis mittuntur Sodalitatis acta, quae singulis mensibus eduntur, sex quidem linguis, Italica, Gallica, Hispanica, Anglica, Germanica atque Polona.

Monitum. Si quis Ioannis Bosco res gestas plenius vult ediscere, librum adeat, qui inscribitur *D. Bosco*, quem Gallice exaravit Carolus D'Espinat. Ex multis libris, in quibus agitur de Ioanne Bosco, Societatis moderator praeter hunc nullum approbavit. — Prostat in omnibus Salesianorum tabernis librariis; et quovis mittetur, impensis exportationis immunis, modo persolvantur ex Itolorum supputandi ratione, argentei 3,60.

